



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Convitiorem contemptor.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

*Ciffra  
aitha*

SEd jam nos appellant Aquilæ virtutes, illaque in primis, quod pium & misericordem Regem, qui scilicet victum & necessaria inopibus erogat, ostendere qui volunt: Aquilam eam proferunt, quam à vigore, quo egregie prædita est, Ossifragam appellant: ea enim pullos, quos sub Aquila, vel montana Ciconia, invida illa inquam, & famelica, quam Græci *γυπαετός*, nostri aliquot vulturnam aquilam nuncupant, nido ejicit, parentes adhuc operam desiderantes, cum volandi facultatem nondum adepti fuerint, ad se recipit, atq; educat, benigneq; tuetur, dum quantum satis sit adoleverint.

## BENIGNITAS. CAP. VI.

*Virginis  
cedes.*

QUÆ quidem mansuetudo fecit, ut juniores (nam apud Aegyptos commentum hujusmodi non inveni) si benignitatem commodissimo hieroglyphico explicare vellent, Aquilam cum alia quavis alite ex eadem olla cibum capientem fingerent. Sed quoniam in Aquilæ benignitatem incidimus, missum illud facere non possum, quod admiratione dignum apud Plutarchum legi, ut si cui argumentum placuerit, totius historię scenam sibi pingendam curet. Cum pestis olim Lacedæmonia exhauriret, oracula monuerunt mali vim cessaturam, si quotannis nobilem aliquam virginem immo lassent. Obsecuti Lacedæmonii, oraculi fidem approbaverunt. Forte vero evenit, ut Helena fors obtigerit, quæ cum mactanda duceretur, Aquila devolans sacrificii gladium abripuit, & ad armenta delatum super juvencam demisit, cujus prodigii argumento *πυρρανοκτονία*, id genus sacrificii subitum est, quod memoriæ prodidit Aristodemus. Idem olim evenisse Romæ in Valeria Luperca & eadem de causa, tradit Aristides Italicarum rerum volumine decimonono, quem idem Plutarchus citat.

## RELATA GRATIA CAP. VII.

CRATES vero Pergamenus, quod & Stesichorus Poeta poemate profecutus est, historiam ab ejusmodi beneficentia non absimilem recitat. Nam cum decem & sex messorum quendam è sociis aquatum mississent, reperit is apud fontem Serpentem, qui complexus Aquilam arctissimis eam spiris implicitam suffocabat. Ille, ut falce messoria armatus erat, audacter progressus ferro Serpentem dissecuit, Aquilam liberam abire permisit: cumque hausta in urnam aqua rediisset, sociis singulis poculum ministravit, mox cum & ipse quæque bibere vellet, præsto adfuit Aquila, quæ poculum ab ore dispulit ejectum procui, dumq; messor factum miratur, & Aquilam quam probe noverat, increpat, eamq; apud socios ingrati animi ream agere meditatur, videt eos & hic & illic concidentes vitam exhalare: unde simul & aquam, quam illi biberant, veneno infectam, & se periculo subductum intellexit, beneficiumque in volucrum optime collocatum, manifestissime cognovit.



## CONVITIORUM CONTEMPTOR. CAP. VII.

*Aut Aquila  
la culicem  
a hinc  
vltu laurida  
sub non cu  
n. i. Pygar  
qui dicit.*

QUANTUM vero illud est, & vere regium, quod Aquila est convitiatorum contemptrix? Unde nonnulli commenti sunt Aquilam figurare statu immobili concidentem, nulla pennarum alacritate terribilem, neq; hiatu rostri minacem, juxta hanc Cornicem submittere, eo gestu, ut lacerante, & conyitia facere videatur, si convitiatorum contemptorem hieroglyphice referre voluerint. Conyitiam enim ajunt solere Aquilam lacerare, & in certamen quodammodo provocare: illam vero, non plus Cornicis conyitia & importunitatem facere, quam Elephas Culicem.

PATER.